

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

Sectio IV Historia A Pace Osnabrugensi Ad Annum MDCLXXX.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274)

§. 21. In *Germania* interea bellis fessa, et latrociniiis exhausta, post multas *Osnabrugae* et *Monasterii*, de rebus etiam sacris, discepciones et Catholicorum tergiversationes, tandem an. MDCXLIIX Pax *Osnabrugensis* coaluit. Qua Protestantibus Religionis libertas denuo asserta atque confirmata fuit. Vid. *Artic. V. Instrum. Pac. PVTRENDORF. Hist. Rer. Suecic. Lib. XLIX, XLX, et FANNERI Hist. dictae Pacis.* Aduersus hanc *Fabius Chisius*, nuntius Pontificis protestari ausus est; quod illa religioni Catholicae et Sedi Romanae praeiudicium adferret maximum.

HISTORIA SECVLI XVII

SECTIO IV HISTORIA A PACE OSNABRUGENSI AD ANNUM MDCCLXXX.

Pace igitur illa optata vix conclusa, *Innocentius X.* Papa, Bulla insolepti edita, eandem reddere irritam molitus est. Quam, quod mirandum est, ipse Caesar *Ferdinandus III* permisi, per nuntium Pontificis, *Viennae*, *Valuis* templorum publicis affigi. Sed hanc *Conringius*, sub nomine *Irenaei Eubuli*, *Theologi Austriaci*, pro pace perpetua Protestantibus danda, consultatione Catholica edita, *David Blondellus*, fideo *Amandi Flauiani* nomine, et *Ioh. Horneckius* in *Examine Bullae* nominatae, perstrinxerunt et confutarunt. Antequam pax ista confecta esset, *Monasterii* iudicium Theologicum personati cuiusdam *Ernesti de Eusebiis* prodierat; quo

t
a
s
r
i
i
l
o
b
i
a
q
s
i
e
i
d
o
t
o
ie
e
o
;
o

quo autor ille contendebat, Pacem, qualem Protestantes desiderarent, secundum se illicitam esse. Sed temerarium illud ac improbum iudicium, ex Pontificiis, *Abbas Caramuel*, ex Lutheranis *Ioh. Georgius Dorscheus*, Argentoratensis Theologus, et laudatus modo *Comringius* confutarunt. Ita plumbea isthaec Bulla nullius pretii evulsit, cum pax dicta confirmata mox executioni mandaretur.


§. 2. Quum autem in *Instrumento Pacis Westphalicae*, art. VII, *Reformati* eadem cum *Lutheranis* pace ecclesiastica, in posterum frui deberent, atque art. V, n. 50, prohibitum foret, illam publice, priuatimue, concionando, docendo, disputando, scribendo uel consulendo impugnare; quidam Theologi Reformatae doctrinae *Tolerantiam Ecclesiasticam* (nam de civili dubium non amplius erat) fuaferunt. Et inter hos praecipuus fuit *D. Georgius Calixtus*. Vid. *D. CALOVII Histor. Syncretismi Lib. III, c. 4*. Enimvero isthaec sententia sub *Syncretismi* nomine, a Theologis Saxonicis, imprimis *Hülsemanno* et *Calonio*, nec non Argentoratensibus *Dorscheo* et *Danishauero* variis scriptis impugnata et confutata fuit. *D. Dreierus*, Professor Regiomontanus, postea latius progressus, quicquid est Christianorum in orbe, *Symbolam Apostolicum* profitentium, in unionem ecclesiasticam recipere uoluit. Vid. *CALOVII Histor. Sync. Lib. III, c. 7*. Memorabilem de hoc conciliandi studio sententiam gloriosissimi Regis Sueciae, *Gustani Adolphi*, *D. ERICVS BENZELIVS Breuiar. Hist. Eccl. 386*. annotauit. Cum enim illi suaderetur, ut trium Religionum magnarum in Europa conciliationem promoueret: *Vereor*, inquit, *ne dum tres illas componere laboramus,*

nonem aliae exsurgant. Confer HARTENIOCH *Hist. Eccl. Pruss. Lib. II, c. no. illi et subacti, innotabilis*

§. 3. Iodocus Keddus, Iesuita, publico libello, Ecclesiae Lutheranae ueritatem in dubium uocauerat. Cuius Sophisticationes Ioh. Musaeus, Theologus Ienensis an. MDCLIV, confutauit. Tribus annis ante Valerianus Magnus Capucinus, Ernesto Landgrauio Hassiae persuaserat, ut sacra Pontificia amplecteretur et profiteretur. Ideo Reinselsae inter illum an. MDCLI et D. Petr. Haberkornium, Balth. Menzerum et Mich. Georg. Eberhardum Happelium, colloquium habitum; cuius acta Coloniae anno 1652 excusa sunt. Vid. D. HABERKORNII ueram et candidam Actionum illarum Reinselsensum Relationem Giessae impressam. Confer etiam G. CALIXTI Literas, et Responsum ad Ernestum, Landgrauium, Helmstadii editum.

§. 4. Innocentio autem X, Papa, uiuis erepto, anno LV. Fabius Chisus Senensis, assumpto Alexandri VII nomine successit. Qui antecessoris sui Bullam aduersus Iansenistas confirmauit, et in Waldenses persecutionem crudelissimam excitauit. Vid. HEIDEGGERI *Hist. Papat. Period. VII, p. 264, seqq.* Bulla etiam edita, sub praetextu pacis Catholicorum Principum faciendae, eosdem aduersus Protestantes, inprimis Sueciae Regem, qui Poloniae bellum intulerat, accendit. Interea Christina Sueciae Regina, abdicato regno, et deserta religione Euangelica, pro qua asserenda, Pater eius gloriosissimus sanguinem fuderat suum, Romam uenit, atque assumpto nomine *Christinae Mariae Alexandriae*, in sinum Ecclesiae Romanae recepta, nescio, quam uanissimam eo ipso gloriam affectauit, cum ante idolum Mariae Lauretanae in itinere uenerata esset, eique coronam hoc inscriptam carmine dedicasset:

Hanc



Hanc tibi sacrauit spretam Regina coronam, illud
In coelo tribuas ut meliore frui. Ceterum iurauerat ille Pontifex, quod Nepotes et pro-
ximos suos sanguine Romae excipere nunquam uelit;
at ex consilio Cardinalis Pallanini, cum eosdem extra
Romam exciperet atque postea diraret; iuramentum
non uiolatum esse, interpretabatur. Vid. HEIDEGG.
Hist. Papat. p. 432. Interea temporis, dum Reforma-
ti cum Lutheranis concordiam ecclesiasticam, uariis li-
bellis editis ambiunt, DANNHAVERVS anno 1658
eorum argumenta, libro, cui titulus, Reformirtes
Salue, und Friedens Grus auf die Probe gestellt,
euulgato examinauit.


§. 5. Per id tempus, in Anglia Secta, uel colluuius
Quackerorum seu Tremantium uel Tremulorum inno-
ruit, qui seiplos uocarunt Christianos Euangelicos, Apo-
stolicos, Catholicos. Autor eius praecipuus fuit Geor-
gius Foxus, homo rudis. Historiam, quae prolixa est,
nuper Gerardus Croesus praeco in pago Alblas prope
Dordracum in Historia Quackeriana, tribus Libris de-
scripsit. In quam Dilucidationes quidam Philaletha
edidit. Illi Sectae addictus Iacobus Naylor, cui Bri-
stollium ingredienti socii assumti acclamarunt: Hosian-
na filio Danais: benedictus, qui uenit in nomine Domi-
ni; item, Sanctus Iehoua exercituum. Vid. CROESI
Lib. I, p. 159, seqq. Sectam hanc insanientem Crom-
wellus fouit; placita uero eius Georgius Keithius et Ro-
bertus Barclaius, scriptis publicis defenderunt. Quae
ex nostris Theologis Io. Guil. Baierus inprimis, eru-
dite confutauit.

§. 6. Dum in Anglia Quackerorum secta delirat, Ale-
xander VII, Papa, Missale Romanum, Gallico idioma-
te editum improbat atque perstringit; quod in regno

D d 5


Galliae


Galliae perditiores quidam filii Sacro-Sancti ritus maiestatem Latinis uocibus comprehensam deiicere et proterere, ac sacrorum mysteriorum dignitatem uulgo exponere temerario conatu tentassent. Eodem anno MDCLXI, Iesuitae in Collegio Claromontano Papae infallibilitatem non in quaestionibus iuris tantum, sed facti etiam defendere ausi sunt. Quam haeresin Sorbonicae et curia Parisiensis reprobarunt, eoque paruam apud Pontificem gratiam inierunt. Vid. HEIDEGGERI *Hist. Papal. Period. VII*, p. 279, seq. Eo tempore Alexander, Papa, in gratiam Gallorum, Franciscum de Sales, Episcopum Gehonnensem, in numerum diuorum relaturus, Lutetia legatum ad se mitti postulauit. Missus ergo a Rege Dux Crequius, qui cum a Corsis, seu milite Pontificis praetoriano, ignominiose esset laceratus, injuriam Rex armis uindicare illatam legato, statim parauit. Sed intercedente duce Florentino, biennio post, non sine sua ignominia Pontifex deprecando culpam, illi reconciliatus fuit. Interea is *Bulla* edita, certam formulam praescripsit, cui Ecclesiastici omnes subscribentes, posthac ad eiurandos Iansenistarum errores semet obstrinxere. Publicauit etiam *Indicem Librorum prohibitorum*, in quo nec Bullis quibusdam Pontificis, nec celeberrimis scriptoribus Romanensibus pepercit. Vid. HEIDEG. *Hist. cit.* p. 454. Per id tempus Jacobus Masenius, Iesuita, *Meditatam Concordiam* edidit, qua Protestantibus insidiosè fidem Romanam persuadere satagit, cuius fundamenta Ioh. Musaeus subruit. Inde *Novam Praxin, orthodoxam fidem discernendi et amplectendi* publicauit, quam Sam. Bened. Carpzouius sub examen reuocauit atque refutauit. Vid. eiusdem *Examen Nou. dictae Prax.* Wittebergae anno 1675 euulgatum.



§. 7. In Germania adhuc diffidio de *Syncretismo* feruente, *Cassellii* Landgravius Hassiae, an. MDCLXI mense Iulio Rintelenfes Theologos, D. Ioh. Henrichum, Petrum Musaeum ad colloquium cum D. Sebast. Curtio, Iac. Heinio Reformatis, de concordia inter partes dissidentes inuenda conuocauit. Quae cum inita fuisset, *Relatio* de ista et *Wittebergensium Theologorum Iudicium* prodierunt. Vid. CALOVII *Hist. Syncret.* Lib. III, cap. 6, pag. 609, seqq. Ioh. Duraeus Britannus, hoc anno *Prodromum Irenicorum* euulgauit, quo inter Protestantes concordiam promouere molitus est. Enimvero *Dambauerus* et *Bebelius* eiusdem consilia reiecere, cum ante *Hulsemannus* etiam uiri hypotheses confutasset. Vid. GEORG. RICHTER. *Epist. Select.* pag. 495, et KEMPFI *Biblioth. Angl. Theolog.* pag. 429, et conf. HVLSEM. *Caluinism. Irracon.* Interea temporis in *Marchia Brandenburgica*, et *Regiomonti* in *Borussia* autore Dreiero, et *Helmstadii*, incensore Fr. Vricio Calixto, Georgii filio, controuersiae *Syncretisticae*, ut uocantur, gliscebant. Dux autem Neoburgicus Protestantes per ditionem Iuliacensem crebris iniuriis uexabat. Vnde Elector Brandenburgicus Capucinos Cluiis excedere, talionis inimicem iure iussit, non prius recipiendos, quam Euangelicorum querelis per Neoburgici ditionem medicina allata foret. Vid. PUFFEN-
DORFFI *Hist. Rerum Brandeb.* Lib. IX, §. 71. In Borussia *Christophorus Sandius*, Secretarius, *Arianismi* haeresin spargere coeperat. Cuius filius *Quóvovuc* deinde apud Barauos, edito, ut uocat, *Nucleo Hist. Ecclesiasticae* idem doctrinae uirus disseminauit. Vid. *Bibliothec. Anti-Trinitariorum*, et HARTKNOCHII *Hist. Eccles. Boruss.* Lib. II, cap. II. Sueci etiam circa sacra Reformatorem anno MDCLXIII, Electorem Brandenburgicum

gium monuerant. Quae autem Elector ad ea respon-
dit, apud P. V. F. E. N. D. Lib. IX Hist. Brandenburg. §. 67,
legere est. *§. 8.* In Anglia Eduardus Baro Herbert de Cherbu-
ry, Librum de Religione Gentilium eorumque apud eos
causa, composuerat, qui Amstelodami anno 1688 ex-
cusa fuit. In eo cap. XV et XVI Religionem natura-
lem homini posse salutarem esse, affirmat. Cuius im-
probam sententiam plures amplexi, Naturalistae ap-
pellantur. Sed istam D. Joh. Musaeus, Ienae publicata
dissertatione confutauit. Huic duos blasphemos athe-
os, quos impostores merito uocat, Thomam Hobbesum
et Benedictum Spinosam, KORTHOLDVS iungit in Li-
bro de Tribus Impostoribus Magnis anno 1680 Kiloni
euulgato. Vterque enim horum diuinae Scripturae
autoritatem ac Christianae Religionis fundamenta sub-
ruere molitus est. SPANHEMIUS illos cum adsecta-
toribus suis, Antiscripturariis accenset. Conf. KORT-
HOLDI Hist. Eccl. Saecul. XVII, p. 906, seqq.
§. 9. In Gallia Sorbonistae in Iacobi Vernantis pro-
positiones, ceu Pontificiae potestati nimium uelifican-
tes, calumum stringebant. Erat inter illas, quod Pa-
pa sit uera fidei regula; item, quod Ecclesiae Romanae
Oracula terminent infallibiliter omnes controuersias,
quae oriuntur in Ecclesia, etc. Vid. HEIDEG. Hist. Pap.
p. 445. Anno insequenti MDCLXV Iesuitarum Theolo-
giam Moralem et monstruosum de Probabilismo dogma,
in Censuram Sorbona uocauit. Nam Amadeus Guime-
nius, Lomarensis illa noua doctrinae pestilentissimae
scita, qua omnia scelera excusari possunt, defendere
publice ausus erat. Vid. HEIDEG. Hist. cit. p. 446, seqq.
et MONTALTI in Literas Prouinc. cum RACHELI Exam.
Probabil. Helmstadii an. 1664 editas.





§. 10. *Iudeos an MDCLXVI novus impostor, Sabatai Seni dictus, qui pro Messia sese vendidit, in Oriente decepit. Sed cum aliquamdiu illis, ad ipsum ex Asia confluentibus illusisset, Turcaeque sibi a rebellionem futura memerens, quod iste terram sanctam reposceret, in custodiam datus, metu supplicii religione eiurata Mohammedanam superstitionem amplexus est. Vid. Tom. III, d' histoire des trois derniers Empereurs des Turcs par Ranaut p. 169, seqq.*


§. 11. Circa id tempus, in Ecclesia Romana inter Pontificios doctores, *Pallavicinum, Suanem Polanum et Iulium Clementem Scotum*, nova lis orta est; *an Ecclesia Romana post Tridentinum Concilium, in peius deflexerit, nec ne?* Affirmauerat id *Iulius Clemens Italus*, negavit *Pallavicinus*, ille Historiae Concil. Trident. corruptae autor. Vid. *HEIDEGG. Hist. pag. 456, seqq.* Disputatum etiam fuit inter *Iesuitas* et *Iansenistas* ut illa attritio, quae concipitur ex metu Gehennae, excludens voluntatem peccandi, cum spe ueniae, ad impetrandam gratiam in sacramento poenitentiae, requirat insuper actum dilectionis DEI? Vid. *HEIDEGG. Hist. pag. 472, seqq.*


§. 12. In Belgio foederato *Renatus des Cartes*, autor nouae philosophiae, quae ab illo *Cartesiana* appellatur, ansam controuersis theologicis praebuit. Nam etsi ipse Theologiam non attigisset, quia tamen hypotheses fouit, quae Christianae religioni aduersari uidebantur; ut: dubitandum esse de omnibus rebus, etiam de existentia DEI, antequam quid certi statuatur; de ideis innatis; de sensu brutis negato; de motu terrae, et solis immobilitate; item Scripturam S. saepe de rebus naturalibus, secundum opinionem uulgi, uel apparentiam loqui, et quae similia eius placita fuerunt.

Theo.

Theologi quidam eius philosophiam Christianae religioni noxiam pronunciarunt: alii vero defenderunt. Unde *Cartesianismus* Sectae nomen factum est. Accessit postea D. Iob. Cocceii, Theologi Leidenfis, doctrina multis improbata. Nam ille nouas in diuinis scripturis interpretandis hypotheses assumerat, totumque Vet. Testamentum et Ecclesiam Iudaicam esse speculum et typum, in quo propheta exhibeatur faciei Ecclesiae in Nou. Test. In Vet. Testamento fuisse tempus litis, in Nouo esse tempus satietatis docens. Inde statum in Vet. et Nou. Testam. iuxta delineationem propheticam, in certas periodos distinxit. Vid. VAL. ALBERTI *Dissert. de Cartesianismo et Cocceianismo*, SPANHEMII *Epist. ad amicos de nouissimis in Belgio circa res sacras dissidiis anno 1677 publicatam*, et ANTONII HVESII *Theologiam Hypotheticam*. In Academia tamen Leidenfi, an. MDCLXXV eius curatores, propositiones XX Cartesianas tradere, prohibuerunt. At illas D. ABRAHAMVS HEIDANVS in *consideratione ad res quasdam nuper gestas in Academia Lugduno-Batava*, et D. CHRISTOPHORVS WITTICHIVS in publica *Theologia pacifica* defenderunt. Non dissimile litigium de Cartesiana doctrina in *Vpsaliensi* Academia postea inter Theologos et Philosophos ortum, auctoritate Regis Sueciae mox compositum fuit. Cocceianis, qui uocantur, sese plures opposuere; imprimis, quod minorem fidei gradum fidelibus Vet. Testamenti, quam in Nouo tribuerent, cum Cocceius etiam diuersum Iustificationis modum in V. et N. Testamento tradidisset.

§. 13. In Orientali Ecclesia MDCLXXII, mense Martio, Hierosolymis Patriarcha Dositheus Synodum celebravit: Quae Orthodoxam Confessionem Catholicae
atque





atque Apostolicar Ecclesiar Orientalis, a Laurentio Nor-
manno, Professore Regio Vpsaliensi, Latine redditam,
et Lipsiae impressam amplexa est. Vid. *Præfat. Con-
fessionis laudati NORMANNI*, et THOMAE ITTIGII
Dissert. V. Heptadi Dissert. Select. pag. 412, seqq.
§. 14. Iohannes de Labadie, Gallus, ex Iesuita Ec-
clesiastes Reformatus factus, primum Genæ docuit,
deinde anno circiter MDCLXXII ad Batavos transiens,
Reformatam doctrinam quidem professus est; sed ob
vitam morumque Christianorum corruptelam, a com-
munione Reformatorum secessionem fecit, collectoque
coetu ex foeminis magis, quam uiris, constante, sacra
sua seorsim primo in Belgio, deinde Herfordiae, ac
tandem Altbæ celebrare coepit. Hunc Schismaticum,
Anna Maria Schürmannia, uirgo illa ob erudi-
tionem celeberrima, Petrus Kuon, Petrus du Lignon, et
Henricus et Petrus Slüterus aliique sequebantur. Vid.
NIFANTII *Metatologiam Labadianam.*


§. 15. Hoc tempore controuersia de polygamia si-
multanea, per Theophilum Aletbæum, (sub quo nomi-
ne quendam Lyserum latuisse creditur) resuscitata fuit.
Quam præter alios IO. MUSAËVS in *Dissert. Theolog.*
de hoc argumento anno 1645 Ienæ publicata confu-
tauit. Cōf. *Theses eiusdem Theologic. de Coniugio.* Vi-
tus Ebermannus, Professor Herbipolensis, per id tem-
pus, laudatum Musæum, ad disputationem de *Vera et
Falsa Ecclesia* prouocauerat, quem ille in *Tractatu de
Ecclesia* accurate confutauit. Et cum Augustinus Gib-
bon de Burgo in *Tract. de Luthero-Caluinismo Schisma-
tico* quidem, sed reconciliabili, Schismatis culpam fri-
uole in Protestantes contulisset, Musæus etiam huius
naenias, laudato iam tractatu, simul excussit.

§. 16. In Hungaria *Georgius Barzon*, Episcopus Varadinensis titularis, an. MDCLXXI, liberum religionis exercitium, a Regibus Hungariae, Evangelicis in isthoc regno, certis pactis concessum, libro euulgato, impugnare primum coepit. Inde Evangelici a Iesuitis in suspensionem perduellionis, cuius Catholici Comites *Franciscus Nadastr*, *Petrus Serini*, et *Franciscus Christophorus Frangipani*, rei fuerant, pertracti, horum culpam simul luere innocentes necessum habuerunt. Nam libertas sacerdotum ipsis erepta, sacerdotes, magistri scholarum in exilium eieci, nonnulli in carceribus diris modis habiti, animam exhalarunt, nonnulli etiam ad tritremes damnati. Persecutionis huius diram mentem *DEGGERS Hist. Per. VII, §. 302, seqq.* describit.

§. 17. In Belgio an. MDCLXXII, prodierunt *Monita salutaria B. V. Mariae ad cultores suos indiscretos*, ad probationem censoris ordinarii *Ioh. Gillemanni*, Ecclesiae Cathedral. Gandauensis Achipresbyteri, et postea *P. de Waldenburch* Episcopi Mysienfis munita. In his *S. Maria* multos Mariolatiae modos improbat. Verum aliquibus animaduertentibus, id in rem suam periculosum esse Protestantes, mox in herba uelut ista monita suppressa sunt. Interea anno MDCLXXVI *Clemens X.* Papa, uicere defierat. Cuius in locum *Benedictus Odescalchi*, nomine *Innocentii XI* assumpto, surrogatus fuit. Qui honestioris disciplinae amans, multos in ebria Romanae abusus abrogauit, et cum Cameram Apostolicam pecuniis exhaustam deprehendisset, ad familiares suos dixisse fertur; *nunquam se credidisse, S. Petri uincam tantopere denastatam esse.*

§. 18. Per id tempus a *Christophoro Sandio*, et quodam anonymo scriptore resuscitatus etiam fuerat uetus *Origenistarum de Praeexistencia Animarum humanarum* error

hat in einem neuen Breue die Kräfte und
das neue gesetzte glaubwürdige klärt.
In Vorlesse aber in demselben Briefe
das demselben übergebenen Briefe der Leyen u. Vorlesse
in demselben.



error, quem IAC. THOMASIUS, *peculiari oratione* edita, et PAUL. BEBELIUS an. 1678 *Exercitatione theologica* publicata, confutarunt.

§. 19. In Gallia inter Reformatos de *conuersionis* gratia dissensus, autore Claudio Paiono, Aurelianensi-um Ecclesiaste (unde *Paionismi* nomen) exortus, ipsos collisit. Nam Paionus arbitratus est, Spiritum S. quicquid ageret in cordibus hominum, id agere medi-ante lumine et vi rationis, per morales suasiones, quarum efficacia a ratiociniis humanae mentis depende-ret. Interea sufficere, concupiscentias imminui, affe-ctus sedari, deponi praeiudicia, depellique ab intelle-ctus oculo quasdam nebulas, quas male iudicandi et cogitandi consuetudo obduxerat; concurrente tamen DEO, ut causa prima est, et quidem iuxta generale decretum, an particulare, de ciendis creaturis; iuxta ordinem semel in uniuerso positum, ac pro conditio-ne earundem in iis, quibus innectantur, circumstantiis. Ita *Paionismum* MELCH. LEYDECKERVS in *Praef. Ve-ritatis Evangelic. Triumphantis* num. XXIX describit, inque eo Pelagianismum latere arguit. Conf. D. IVRII *Tractat. de Natur. et Gratia* pag. 26, 27, 243. Sed SPANHEMIUS in *Elencho Selectior. de Religion. Contro-uers.* pag. 285, seqq. de Paionismo, quem euoluit, mi-tius sentit.

§. 20. Rochas, Episcopus Hispanicus, de Saxonico-rum Theologorum contumeliosis dictis in Catholicos, multa in aula Brandenburgica a MDCLXXVI con-questus est, inprimis quod illorum non nemo, scripto nuper edito tradidisset: *inter rudimenta doctrinae Ca-tholicae extare, scortationem non esse peccatum. Quae cum nonnisi animis irritandis eorum, qui in una re-publ. uiuunt, inferuiant, expedire, ut ista fingendi licen-tia*

Resemb. H. E.

Ee

tia

tia cohibeatur, monuit. Vnde et formulam obrulit, iuxta quam abolitis litigiorum inutilibus, concordia circa sacra, in Germania stabiliri possit. Sed Electori Brandenburgico haut placebat, cum isto in disceptationem descendere, qui tantae rei parum idoneus autor uidebatur, et cuius institutum eo tantum tendebat, ut astutiam litiorum hominum, haut capientibus illuderet; cum Protestantibus summa rerum non possit non labascere, si cum Pontifice tractatus suscipi posse credant; qui unque irriti sint cum eo, cuius rationes aduersa fronte cum nostris pugnent, iudicante PUFFENDORFIO *Rey. Brandenburg. Hist. Lib. XIV, §. 20.*

§. 21. In Belgio foederato *Iohannes Rothius*, Amstelredamensis, fanatico spiritu abreptus quintam Monarchiam an. MDCLXXIV a Christo in terris inchoandam somniavit. Huius placitum *Quirinus Kuhlmannus*, Vratislaviensis, amplexus non tantum *Iacobi Boehmi* doctrinam, libro euulgato (*der neubegeisterte Böhm*) in crustauit; sed et, ut quintum illud regnum uniuersale, a *Rothio* praedictum, Turcis et Russis innotesceret, Constantinopolin et postea Moscouiam profectus est: ubi assumptis focis uelut Apostolis, cum de hac noua Monarchia praedicare instituisset, suasu Patriarchae Moscouici primum carcere, postea uero cauea ferrea inclusus anno MDCXC ibi combustus fuit.



FRANKESTIFUNG

der Kaiser hat die Kaufleute der Provinzen in der Gegend, weil der
P. Maimbourg, ist von Hofe sehr geachtet worden, gegen die Rhein-
stadt in der Gegend der Induction zu sein, in dem von Hofe
selbst den Kaufleuten der Provinz befohlen wurde.